

INFERIÆ
CONIVGALI VERO AMORI
PARENTALES;

Coronatâ tot Laureis VIENIAVII VRI Victimâ,
ad triumphalē è Ligno OLESNICIÆ CRVCIS pyram,
Immortalitati Magnorum Nominum
SACRÆ.
Et ad lugubrem Iustorum Funebrium pompam
Lectissimorum Coniugum,

JLLVSTRISSIMI DOMINI,

D. LVDOVICI
IN ZBASZYN
CISWICKI

CAPITANEI STAVISZYNENSIS,
CASTELLANIDÆ MEDIRECENSIS, &c. &c.
JLLVSTRISSIMÆ q; CONSORTIS

ANNÆ SOPHIÆ
DE OLESNICA

Per CHRISTOPHORVM IOANNEM CYBONI, Phil: Bac: Collegij Lubransciani, Almæ Academiæ Posnaniensis Pòëseos Prof:
Elogio Funebri
DEDVCTÆ.
Anno nati ad Crucis Victimam Immaculati Agni 1678. die 12. Decembris.

POSNANIÆ.
Typis Alberti Reguli Młoduiewicz.

IN GENTILITIUM
JLLUSTRISSIMÆ CISVICCIÆ DOMUS
INSIGNE.



Gorgoneum, fera Monstra, Caput, quemcunque videntem,
Protinus attonitum diriguisse ferunt.
En CAPITE *in pulchro turpem dat Parca Medusam,*
Vertat ut in saxum, Corda Paterna dolor.
Sed lacrymas, Pie siste PARENS; *quis censet amara*
Funera? quæ verus dulcia fecit Amor,

JLLUSTRISSIMO
ET
MAGNIFICO DOMINO,
D. FRANCISCO
IN ZBASZYN
CISWICKI
CASTELLANO MEDIRECENSI
&c. &c.
DOMINO & PATRONO AMPLISSIMO.

AMoris nuper, Doloris hodie Tui, Filiales Conjugali vero Amori Inferiæ, paternas ambiunt Manus Tuas; quæ Cor etiam Tuum insedêre: Illustrissime & Magnifice Domine. Immortalitas tantorum Nominum, præpropera Nobis ac Tibi præsertim, mortalitate erepta, vigebit perennius Tuo dicata Nomini, vel in Prole hac mortua, ex eo Immortali: quod talem dederis Orbi Filium; quem matura mediam ante ætatem virtus, ultra mortalitatis fermé limites, tot culminibus decorum eminentem, adeò festinæ transcripsit Immortalitati. Verus hic Conjugalis Amor, vero in amantissimam sobolem paterno Amori Tuo sacer, impensius omnium posthumas charitates merebitur: & Inferiæ parentales, Tibi omninò debebantur; qui illis, corde in victimam doloris dato, luctuosissimè parentas. Mirentur ut lubet filialis prodigium Amoris, in os humerosque DEO simili Heróe, non minus ad sui cladem, quàm ad factum illud, attoniti Troiæ flagrantis Cineres, quod fumante Ilio, dulcem ac leuem humeris suis sarcinam, grauem ætate Parentem extulerit. Sed in prodigiosa hac viuentium simul morientiumque lectissimorum Conjugum Morte, Tua maius excitat prodigium Paterna in Prolem dilectio: quod sacram Amori, gentilis VRI *Tui Victimam, triumphali* OLESNICIÆ *Pyræ, in amantissimo Nato inferat: & eò maior Tibique laudabilior est; quod non Filialis in Patrem, sed in Filium Paterna sit. Grauius tamen onus hoc paterno Cordi Tuo quis dubitet? cum non ex incendio auferendum, sed incendio potius* OLESNICIÆ *Pyræ inferendum sit: nisi ex eo fieri leue debeat; quod incendium Triumphalis Rogi huius, funebres inter tenebras, è con-*

iunctis Illustrissimarum Domùúm splendoribus, Ignes non accendat alios, quàm Triumphales. Solatio Tuo, & Mæstissimæ Consortis Tuæ, cedat omninò istud: quod Laurêáta gentilis Vri *Victima, in Signo* Olesniciæ Crvcis, *mortem vincat, Immortalitatem captiuet, ex cordibus posterorum obligatissimis pulcherrimè triumphet. Exultat opinor, in illa vt spes est, perennium gaudiorum bèáta sede, peculiari lætitia, vel inter dolores Tuos, Magnus Ille Filij Tui spiritus: quod morte sua Tuam (quam boni procul arcete superi) anteuenerit: luctuosissimum sibi ratus, si Vitam illam, quæ & Tua, & publicæ Rei est, sibi vidisset præmortuam, suo funere magnum communis Integritatis cadaver efferentem. Luculento hoc Veri Conjugalis Amoris testimonio, verum quoq; Filialem in Te Amorem testaturus, Tuis præire fatis elegit: quibus immoriente etiam vitâ, non dignè satis parentâsset; cum filialis in Parentem Amor, Coniugali Amore maior, nec ipsa ex morte iustas Inferias sortiatur. Sed verus quoq; Optimi Ciuis in Patriã Amor, in Filio Tuo supremus eminuit; cum oportunam adeò Patriæ animandæ Vitam Tuam aduertens; Ille migrauerit è vita, Tuam, detractis sibi tàm immatura morte annis, in tempus longissimum protracturus, vt simul felicitatem publicam in Te viuentem prorogaret. Votum hoc pro Te, non amantissimi tantùm Filij Tui, sed publicum etiam, sed meum deniq; est. Viue Illustrissime & Magnifice Domine, vitæ publicæ Insignis Portio, ac diuini juxta Platonis dictum, in magno Corpore verè aurea Lechici Senâtus Anima: Laureatamq; toties gentilitij* Vri *Victimam, in triumphali Pyra* Olesniciæ Crvcis, *Amori Coniugali hisce Parentalibus Inferijs sacram, paterno favore, tenuitatem exilis conâtus mei, amplissimo patrocinio corona.*

ILLVSTRISSIMÆ & MAGNIFICÆ DOMINATIONIS TVÆ.

Cliens dedititissimus

Christophorus Ioánnes Cyboni, Phil: Bac:

Collegij Lubran: Acad: Poss:

Pôéseos Professore.

INFERIÆ CONIVGALI VERO AMORI PARENTALES.



AVrium & cordis humani speciosa voluptas, Orphei, Amphionisq; Cytharâ sonus gratior, delicatum veri Amoris Nomen, licet diuinam planè quandam, & vel cælestibus Ganimedum Ambrosijs dulciorem arcanæ jucunditatis gustum, amantium cordibus infundat; illud tamen Hyblæo plusquàm nectari huic, fel admiscuit, quod, si genuino concentu auribus insonet, amarissimum Mortis vocabulum, ceu incondito strepitu fulmen detonans, dulci & pacata suæ vocis harmoniâ complecti videatur. A morte deriuationem traxit, primitiua veri Amoris nomenclatio, vel ex eo; quod in amati morte, commoriturus si posset dulcis Amor, in amaritudinem desinat: vel quod ipsâ tantùm definiatur morte, ænigmaticum in vita veri Amoris cognomentum. Ad Aras quidem sibi, non alio quouis limite circumscribenda Amantium studia metam posûere: sed meta hæc vitæ simul terminalis est: Aræq; istæ, Proserpinæ titulô insignitæ, bustis ac monumentis vicinæ sunt: in quibus, vero quisquis Amori litat, non aliam offert victimam, nisi quam prodiga in luxus ferales antiquitas, pompæ funebri parentales Inferias appellauit. Nimirum optimus est veri Amoris Lydius, sola Mors: & quidquid in

amici obsequium, vario officiorum genere exhibueris, vanum est; si Mortem vnicam, dum illam necessitudo & necessitas amica imperat, expauescas; si denominationem suam non à morte deriuet Tuus Amor. Veram non fucati Amoris energiam, & in Apellis archetypo, solus benè exprimit color sanguinis; sola ad viuum mors depingit, sola rectè lineamenta adumbrant quæ vltimam rerum lineam, cruento acutæ falcis stylo circumducunt. Dubitâsset hodie, de illo tam vero, suam in Patriam amore Curtij, incredula vertentium fides temporum, si non à morte alacri, locuples, & omni maius exceptione testimoniũ quæsijsset; si non eum, inhians exitio publico hiatus ille, totam hausturus Romam, tam vasto ore ad posteros loqueretur. In Horatio Coclite, æmulum boni publici amorem, vocâsset æquè in dubium, anceps Nepotum cogitatio: si non illum audax manifestæ mortis contemptus, adamantinis characteribus, vel in fluido Tyberis elemento, nullâ vnquam Neptuni spongiâ delendum, perennitati inscripsisset. Par & Decijs indecentia, par illustri Scæuolæ inhæreret hodie obscuritas, si non illis data in victimam publicæ integritati Capita, è triumphali tumulo, in Capitolium Immortalitatis assurgerent; Huic, clarior exustâ manu focus, Vestalem perennis memoriæ ignem, non accenderet, nec totâ effusâ Lethe extinguendum. Ast verò amaritudo hæc, quam suo Amor vocabulo includit, natiuâ illius dulcedinem non corrumpit: totam mellea illius suauitas, spirat Atticam, & omni supra Hymetto est: mortem etiam tremendis quibusq; terribiliorem, congenito horrore ita spoliat; vt, cuius, vel memoria amarissima est, masculo amici cordis palato, dulciter arrideat, illius temperata condimento. Quis in morte Piladis non Orestes? quis non Nisus ad busta Euryali, *se super exanimem telis, proiectet amicum, Confossus, placidâq; ibi demum morte quiescat?* jucundam illecebrâ Amoris mortem, vita

vita superstite dulciorem existimans, quàm, abrepto fatis, cordis sui delitio, duceret planè excordem. Enituit luculentum satis, inter lugubres mortis tenebras, veri in vobis Coniugalis Amoris specimen CONIVGES ILLVSTRISSIMI: hôc ipsô æternùm victuri, quod sic viuere desieritis, morte hac vestra, nascentium Immortalitati temporum renascentes. Præiuisti dilectissimo Conjugi Alcestis desideratissima non tamen fatis Tuis mortem Illius redemptura, cum Nobilior hic Admetus, funeri Tuo viuere superstes noluerit, avulso in Te Animæ suæ dimidio, vitam prorsus exanimem habiturus. In Vobis equidem suam reperit veritatẽ, Oraculum jam, non effatũ: Ibi magis esse animam vbi amat, quàm vbi animat, cum vno ferme, binis in corporib⁹ viventes spiritu, non priùs amari quàm animari desiistis. Accessisti è Dionysij quondã Syracusani voto, decantatis olim veræ Amicitiæ paribus, Par lectissimũ: junctis sacra in fædera dextris & cordibus ita sociũ, vt vitæ simul & mortis vicissim comes, nec ipso volueris tumulo separari. Gordium in Vobis Conjugalis amicitiæ nexum, ita verus Amor, arcanis cordium nodis implicuit: vt nec plus-quàm Macedonico falcatæ manûs ferro scindi posset. Quid jam simile, plena exemplorum antiquitas, in suo Ænea cum Achate, Theseo cum Pirithòó, Damone cum Pithia, Castore cum Polluce, sexcentisq; alijs effiingat? postquam hodiernus inter Vos Amor, & fabulosis nominibus fidem fecit, & præsens seculum inuidiâ priorum liberauit. Extinguat ardentissimam Bruti extincti sitim, haustis ignitis carbonibus, & ardentes auido bibat ore fauillas, Portia. Ad cruentam alieno sanguine Pompeij sui purpuram, metu subito, Iulia expallescat. Stupendi in Mausolum Amoris, vastum satis Theátrum explicet Arthemisia, vel in illa regalis tumuli majestate, quam septeno prodigiorum Orbis numero adscriptam, hæc etiam, quam viuimus ætas, cum relegit,

git, stupet. Tragicum lamentabili versu Epicedion, toto superstitis vitæ spatio, ad busta suæ Coniugis, occinat Antimachus. Rhodopeio vati, ad repetendam Eurydicen, facilis sit descensus Auerni. Sublimior ab hac fatorum clade, Amoris Coniugalis surrexit apex; casumq; hunc mortalitatis, ipsi baiulæ Immortalitati sustinendum porrexit, fatigaturâ quemuis Atlantem alium, tantâ sponsalis dilectionis mole. Sacramus ergò non moriturae Vestrorum Nominum Immortalitati, Vestras hasce vero Coniugali Amori parentales Inferias: cui nulla opulentior vnquam obtigit Hecatombe, quam procumbens hæc ad triumphalem Olesniciæ Crvcis pyram, coronata tot Laureis Cisvich Vri victima: quæ vel symbolico æternitatis circulo è naribus suis pendulo, olim jam sibi hæredem vetustissimæ Domûs perennitatem desponsauit. Et Pyra hæc, omni quondã serenissimarum etiam Exuuiarum, capaci rogo illustrior, vel ideò è triumphali Olesniciæ Crvcis Arbore construitur, quòd in illa vero deuota Mors Amori, ex augustis pulueribus, Immortalitatis Phænicem sit paritura.

Ineluctabile, nec vllo Ajacis Perseiq; Clypeo eludendum, mortalis arcûs telum, durissimum licet, quotidiana moriendi necessitate censeatur: erepto tamen contra præuidendam jaculi sui declinationem consilio, ipsum etiam doloris sensum, saucijs communi ictu cordibus eripuisset: si illos tantùm in meta statueret, quibus dierum saturitas ipsa, justo vitæ spatio meditatum funus indicit, præteriret illos, qui prima plenioris vitæ Olympia, & amplum gloriæ latifundium, aggressi, in ipso statim limine ad sepulchri lapidem offendunt. Præcox vernantium in herba decorũ, & necdum benè expliciti floris, in viris Immortalibus fatum, sæuam Mortis crudelitatem arguit, auaramq; spiritûs alieni, & verè Parcam, hôc solô vitæ prodigã condemnat, Inuidæq; titulum ei adstruit: quod prima in fronte operum spectari cæptam, in optimis mortalium virtutem, sublatam ex oculis, nos quærere cogat inuidos. Cannæ aliæ, & internecio quæuis hominum, Iliacis cladibus luctuosior, deflendæ sorti suæ, pares utcunq; lacrymas sortitur: dicendisq; funeri eorum nænijs, sufficit eruditus Præficarum ejulatus, & venales conductij doloris guttæ. At non in mentitos luctus abire licet, imò quantoscunq; exundantium lacrymarum Oceános exarescere, triplici armata ære, & vel saxea Niobês corda, in liquida fontium solui ac diffluere oportuit: quoties augustam præclarè factorum Athleticen, generoso conamine ineuntibus, angustas vitæ compendiosæ Thermopylas, & plusquam Cilicum fauces, inopinata mors obiectat.

Parentandũ sic esset hodie immaturo funeri vestro, Coniuges Illustrissimi: nisi & Amor hic Vester, qui dulcem Vobis amaritudinem mortis reddidit, cruda singultientis animi acerbitate interdiceret, & digna cælo, ætateq; superior virtutum maturitas, hoc florentium annorum vere, in autumnalem adulti decoris vindemiam, effrondescens, diluuia hæc profusi doloris, in Mortem potius ipsam refunderet; vt doleat rumpaturq; quod vbi se Lynceam, centenaque Argi palpebrâ oculatiorem credidit, talpâ turpiùs cæcutierit, tam euidentes, ac meridiana auge rutilos, virtutum tot splendores, in hoc ætatis planè diluculo, non aduertens. Prouidistis in vita, vbere tot rectè factorum solatio, ne pulcherrimam mortem Vestram, squallidus fædaret luctus; nihil in æternitatis fastos, quos illimia Vobis compleuêre decora inscribentes: quod lecturus olim posterorum oculus, & critica illa Vticensium supercilia, eliminandum lacrymis annotarent. Versatus est ita, intra concentricæ Orbi huic vicissitudinis alternas vices, extra omnis vitij næuum, recti amantissimus Lvdovicvs: & aleam hanc æui cum vita labilis, tàm fortunatis lusit vicibus: vt

C nihil,

nihil, cui Sardonius ille mortis risus illuderet, quod vindex Nepotum lugeret lacryma, reliquisset. ANNA SOPHIA, Gratiarum vna, imò vna Gratias omnes complexa, Præficas à suo excludit funere: ipsis, quas Nomine retulit, Charitibus, suas vero Coniugali Amori Inferias, pompâ nobiliori comitantibus. Heroinarum sapientissima, eam, quam ethymo complexa est, sapientiæ mensuram, ita sanctissimo exemplaris vitæ instituto, ac veriùs magisterio, impleuit: vt cum nunquam desipuerit, illam in morte etiam, successionis quodam iure posteris sapientiam redonet: Neminem mori digniùs, quàm illum, qui moritur, adhuc morte indignus. Studiosissimum exactæ in vita probitatis Par Integerrimum, cum nunquam deliquisset, hôc in Nos vnicô peccauit: quod mutuo veri inter se Amoris prætextu, ne rumpi morte videretur, terras odio habens, tam festinanter se, nostro subduxerit è conspectu. Si tamen desiderijs nostris Illius hìc ego mortem commetiar, nimis-quàm celerem, ingenuè fateor: si prægrandem gestorum magnitudinem, tàm exiguo vitæ seculô tanta perfectione succrescentem intueór, satis vixisse comperio: si illam demum perennem operum immortalitatem admirer; victurum abhinc semper, nunquam moriturum, deprehendo. Sed his etiam augustis Victimæ toties Lauréátæ Cineribus, ad triumphalem victoriosæ Crucis pyram, tanto Illustrissimarum Domuûm splendore, vel Cimmerias inter fatorum noctes, fulgentissimis, affundere lacrymas, Religio sit: ne flamma illa, clarissimorum tot luminum, toto planè radians incendio, quam immortaliter fouebunt; hâc tepidi dolore cordis gelidâ, extingui videátur. Pullatus hic Illustrissimo natiui splendoris auro superinductus gentilis VRI color, quamuis lugubrem, & atrato cognati Sanguinis hodierno apparatui concolorem Scenam explicet; nequaquam luctû poscit: cum suo quem ore præfert, Annu-

Annulo, perennitati subarrhatus, lugendam sui cum Morte exitij Catastrophen, haud expauescat. Hæreditarius Familiæ splendor, tot serenitatum radio accensus, nobilem hanc gentilitio CAPITI fuliginem infudit, vt & fumosis Maiorû Ceris, & fuliginoso hoc Illustrissimi Stemmatis sypario, manifestam Vetustissimæ stirpis antiquitatem reuelaret. Impensus cura alacri, in obsequium laborantis Reipublicæ, serius ad sudorem vsq; labor, & æstus gloriæ calentissimus, notam hanc semper candidissimo in Patriam CAPITI inussit non infamem, adeoq; firmiter inhærentem: vt illam, nec inquilina Trabeátæ semper Domûs Purpura, nec herôô fortissimi super Galeam Leonis gladio, fusus barbarorum cruor, vnquam deleuerit, vetusta pariter ac venusta nigredine hac, perennis gloriæ Candidatam. Non ad Tenebras istas, errauit vnquam, comes indiuiduus prodromæ Virtutis Honos: quæ sua hac obscuritate Illustres, cóáceruati liberaliter luminis prægrandi Pharo, à tot seculis coruscát. Habet hic aureum hæreditarij planè Honoris Vellus, perpetuam Colchidem, pro qua, æripede olim Tauro, insomniq; Hesperidû Dracone vigilantior VRVS excubat: Orbemq; hunc, quem ori Illius, famæ appendit æternitas; Domui huic vectigalem ancillantis Fortunæ orbitam, rectè dixeris, quæ continuas Illi honorum reuolutiones inuehit, nunquam ex ea euoluendas. Vel certè Orbis Ille, Fascia quædam est perennantium in Vieniauia stirpe Fascium, Obsidionaleq; sertum, aurea sua compede, catenatam Fortunæ constantiam, & indissolubilem successiui honoris nexum, detinens ac vinciens felicissimè. Cætera inter sublimium Familiarum membra, in Reipublicæ corpore, quidni celsiùs, redimitû tot Laureis CAPVT emineat? quod, in amplissima Inclytæ Domûs atria, magnificentissimo apparatu, totam planè in augustis Maioribus Regni Patrij deduxit maiestatem. Extulit

tot

toties Primatialibus Tiaris coronatum verticē, ipsis Regum solijs, vicaria in tot Archipræsulibus potestate vicinissimum. Spirituali laticlauio, sacratiorem Senatum, Infulatis Antistitum in Capitibus numerosissimum semper circumtulit: cui ad pleniorem Trabeáti Collegij dignitatem, Palatinæ etiam Curules, Castellaniq; splendores, longis ordinibus accessêre. Monstrauit Regibus viam, aureâ honorarij Scipionis virgâ, in tot Regni & Curiæ Marescalcis, verisq; in Caduceo hoc suæ Patriæ Mercurijs ac Scipionib⁹. Principem Regni Gemmam, symbolico rotundi Oris Annulo, non in vno publico Poloniarum Hercule, Oris scilicet Pectorisq; Augusti supremo Interprete, Regniq; secretorum Ephestione, gloriosè toties insigniuit. Ducales Imperatorum Clavas, dispensatrices puplici thesauri Claues, Illustria tot Regni Aulæq; munia, vnà cum districto semper, in Patriæ tutamen, Gladio, armatæ sui Leonis Manui, dexterrimè ingessit, toties deferenda. Iubesne hîc, tot tantorumq; Stirpis Tuæ decorum, Hæres non degener, Auguste Cisvicciorvm Sanguis, veri hodie in gētilitio Vro Tuo Coniugalis Amoris victima, Illustrissime Sponse, amoueam pullatam hanc, quam Illi & antiquissimæ Propaginis vetustas, & hodiernus atratæ Mortis color induxit, sacram tamen Illustrissimi Capitis cortinam: euocem è profunda fatorum nocte, ad splendoris perennaturi diem, omni titulo fulgentissima Auorum, Atauorumq; Tuorum Nomina, & vivo lumine scintillantes Tuo infunere vmbras. Sed nata elogijs eorū immortalibus, sine vulnere integerrimi Capitis Tui eruditior Pallas, meæ interim tenuitati in illorum laudem, os Annulo suo consignat: ne imparis tanto molimini conatus benè conscia, ad auitas Tuorum origines, ex Albo immortalitatis recitandas, altiùs descendere audeat: post-quàm viâ vt ajunt compendiariâ in Te vnum hæcomnia convenêre. Tibi hîc tamen, audiendæ erunt vel è tumulo Tuæ laudes: quem & capacissima tot operum Immortalitas, & recens adhuc publici in morte Tua doloris recordatio, inter hodiernas dolorum circumstantias, evidenter se insinuans, ponit ob oculos; Illustrissime Sremensium Castellane, Abraham Cisvicki. Per summa facinorum Tuorum progredi, non paginæ istius, sed fastorum æternitatis ingens negotium est: dicendisq; tanto Nomini Tuo fusioribus præconijs, non ex dignitate locus inter lacrymas & singultus; quando vel vnica illa disertissimi Oris suada, omne Latij eloquentis mellificium, omnes facundiæ Troianæ Rosas, & Gratias omnes complexa, non verba sed gemmas postulat, quarum Tu, copiosam grandinem, pretiosasq; procellas, aureo illo eruditi apparâtus profluuio, Magnus æui sui Arpinas, Senatui Lechico toties infudisti. Gesti à Te, suppari dexteritate Magistratus, indutus Senatoriæ Vestis Murex, infracta bellorum periculis fortitudo, susceptæ ad inuidiam Cyneæ Legationes, in opem publicam datæ opes, prompta Regno & Regibus obsequia, panegyres Tuæ sunt, ac tenui calamo sublimiores Cothurni. Veneror hîc & Tuam, sacræ ad Aras Virtutis magnitudinem, vmbramq; tantùm Illustris Animæ contueor, cum splendidum omne, cælesti siderum coloniæ illatum, inassuetos tantæ serenitati oculos, perstringat: Gnesnensis Posnaniensisque Cathedræ nobilissimum Decus, Ipsisq; dignum Cathedris Nomen, Zelô promouendæ fidei, & natalis ethymi &, sacri Posnaniensium Patrum Stemmatis, capax ad amussim Petre. Honorum Tibi auspex, gentilitij Vri Tænia, jam olim Vittas Episcopales nexuisset: si Vita diuturnior, Terris Te seruassêt ampliùs, quem suis Cælum Infulis tam celeriter destinauit. Cum verò ipsa hæc Cisvicciæ Domûs limina, progredi non ausa profundiùs, tantorum obseruantissima Nominum Oratio, periodico

D

passu

passu obambulati capitale omninò censet, si Tuo vel maximè, hos inter gentilitij CAPITIS splendores, Illustrissimo Nomini, non assurgat, Parens Mæstissime. Illi Nomini, quod Numen planè Senatûs; & Oraculorum tripodem, cum Togatis Quiritum ordinibus, miratur Polonia: quod Regni Patrij Macedoniâ non contentum, remotissimis exterorum Gentibus, (quas magnâ Lechicæ commendationis gloriâ, cum lustraueris; illustrâsti:) vocalis famæ classicô decantatum insonuit: quod vix centena æternitatis ora, & optatæ Poëtarum votis linguæ, satis deprædicent: quarum Tu Tibi præconiũ, ipsâ multiplici linguarum totperitiâ vendicâsti. Desudabit in dicendas illi iustas panegyres, omnis, quæ orbi nascetur ætas: habebunt in Te palæstram colluctationemque suam Ingenia, sudorumq; Tuorum, quos Tibi impensus Patriæ labor expressit toties, ipsa dignum Torcular erit Immortalitas. Mihi laudibus hîc Tuis, abstinendum censeo: post-quam solus apud Te hodie, qui paternum insedit Cor, & aures occupat, Orator dolor. Abiêre pariter inæmuli doloris spinas, pungendo materno cordi Tuo acutissimas, & Tua florentissimæ Gentis Lilia, dolorum hodie in morte Filij, fæcunda Mater Illustrissima Parens: quod, cum socio Maternorum decorum flore gentilitiũ CISVICCII VRI CAPVT, hucvsq; redimierint: hodie in fatales Cupressos repullulent, vt Victimam coronent. Non tamen hîc ego Parentes mæstissimi Cor Vestrum, doloris tanti exasperatione lancino, recentiq; adhuc vulneri sævus exulcerator, addo vulnera: dum iustos mærores Vestros, geminâ hâc dilectissimæ Prolis morte auctos, ideò tantùm innuo, vt simul tam profundæ cordium cicatrici, medelam, dolori offeram solatium. Porrigit illud, hic ipse Tumulus, mæroris simul ac solatij Vestri author, illud funus tristi hac sua facie adornans, quod dulcis Amor, amantissimæ Proli Vestræ dulce fecit: Eosque Manes, loculo suo complectens quorum vita post mortem perennis, & in tot pulchrè factorum decoribus, & in relictis, vadibus suæ apud posteros gloriæ, carissimis Pignoribus, æternùm est permansura. Hic verò quem hactenus calamo nonnihil delibauimus, deductus ex illustri Natalium fonte Rivus, in Te totus refunditur Illustrissime Coniunx. Splendores tot luminum, geminâ hâc & gentilitij CAPITIS, & fatorum vmbrâ sereniores, quos suo æternaturos orbe, VRVS hic VIENIAVIVS conclusit, in Te velut Capite suo centrum figunt, & in vltima hac mortalitatis Tuæ periodo, Immortalitatis suæ punctum ponunt. Auxisti hos ingenti propriæ lucis accessu; Magnam Natalitiæ sortis fortunã, maiori Virtuti Tuæ tributariam faciens, nec minùs fastis quàm factis, æquè Maioribus, ac moribus Illustrissimus. Recalcâsti non degenere passu, Gigantea Atauorum vestigia; ut magnos illos Immortalium Virorum Manes, in Te post funera superstites mansisse ostenderes; vel ideò à Tua etiam morte Immortalitati superstes. Conatus es intentissimo sedulæ æmulationis studio, perficere telam gloriæ non interruptam; quam continuata serie Tui Maiores texuêre: quo-usq; dignissimæ diutiori æuo vitæ stamina, filo tot meritorum aureo circumducta, Cloto inuida non scidisset. Generosam in Te animi habitatoris indolem, ipsa corporei habitaculi magnificentia in vestibulo præmonstrabat, ergastulum hoc mortalitatis in Te Palatiũ quoddã magnæ mẽtis fuisse edocẽs: in quo melioris luti cælestis, nobilior illa compago, & vera diuinæ particula auræ, maximis quibusq; maior animus, augustale magnificũ ostentabat. Admouit se huic vicinus Athenarum cultus, multiformi literarum studio capacissimum illud ingenium expoliens, quod postea in omni negotiorum Regni Theâtro, ad omnis elegantiæ numeros instructissimum vbiq; Roscium exhiberet.

ret. Togam in Prætexta indutus, ſenium in adoleſcentia aggreſſus ſueta ætati huic lenocinia, puerileſq; luſus, exporrecto in omne altum animo contempſiſti intentiſſime ſerijs LVDOVICE: ijs ante tempus præcelſam mentem imbuens, quæ ſera prouectioris vitæ maturitas, & ipſum fatiſcentis æui deliquium, vix in alijs perfeciſſet. Supra calamos omnes, ſupra digladiantis ingenij ſuccũbentes conflictus altior hîc emines; ſi Tuos in Te annos non diebus, ſed quotidianis in Patriam meritis exactos, laudibus diſtinguã. Aſſurgit plerumq; humilis etiam luctantium ingeniorum contentio, cum laudandorum magnitudine, ſuper decorum, & exaggeratæ gloriæ ſublimes cumulos euehitur: vt infantilis etiam teſtudinum reptatus, in altum euolat, ſi illum penna Aquilarum extollat. Sed quis per arduiſſima hæc quæ ſuccreſcentibus in Te creuêre annis, virtutis non adeundæ faſtigia, ſecurus perniciſsimi veſtigij feratur? Inconceſſũ eſt pennæ huic, eò pertingere, quò Tua Te Virtus extulit, ſolam attonitis poſterorum oculis, Tui contemplationem non eripiens, & quod in magnis etiam ſideribus illuſtre eſt, ſi non totum remotiſſimi ob tantam altitudinem ſplendoris limpidum, ſaltem atomos & ſcintillas. Inſigniere Tuo in Capite, gentilitium Victimæ hodiernæ CAPVT, Belli Paciſq; Inſignia: cum & Domi Te in Comitijs Tullium, & militiæ in arena Camillum, Curium in Curia, in acie Ajacem ſemper vidimus, & Militari gladio, victrices metentem Laureas, & fluido dulcè manantis eloquij torrente, æquè immarceſcibili Tuo decori vernantes Pacis Oleas irrigantem. Illud quoq; æternum Orientis propudium, famæ Sarmaticæ Theátrum, in Regio IANINÆ CAMPO, hodierni Poloniarum Auguſti Ducalibus auſpicijs, trophæorum nemora plantantes, & adhuc ſacrilego barbarorum ſanguine purpuraſcentes, Cãpi Chotimenſes, Tuæ etiam herbam porrexêre fortitudini; magnanimos in Te, noui Leonidæ ſpiritus, quos Tibi cum hæreditario magni Sanguinis influxu, vel in cunis adhuc, ſocius in Stemmate VRI LEO infudit; venerati. Scutum illud Epaminondæ Lechici, ac verius Patrium Ancile, Polonæq; jam Cor Aquilæ, quocunq; Tecum gentilitium CAPVT Tuum, fædifragis objeciſſet phalangibus: ſubitò illic ad reuelatam velut Perſei parmam, territa Otthomanorũ audacia, diriguit: Capitaneumq; Te, vel ipſa tùm temporis præciſa victricibus armis barbarorum capita, inclinatis ad fata vſq; ſua caſibus adorârunt, etiam ab hoſtibus, debitam ſibi Virtute Tua commendationem exigente. Ominabatur Illa prælij & Tuæ Virtutis arena, ſi votis ſuis vita longior reſpondiſſet, viſuram ſe aliquandò, ſupremum in Te belli Ducem; quem lectiſsimi Ductorem Agminis talem vidit, vt quacunq; in hoſtem via ìéris, ſemper habueris triumphalem. Tuliſti ad illum flagrantis Bellonæ rogum, cum aduſto illos etiam inter æſtus, gentilitij VRI CAPITE, Caput Tuum, alter Poloniarum Decius, daturus illud in Victimam ſalutis publicæ, niſi decerpta ex illis Campis Laurea, quæſitæ medio in periculo mortis fulmen imminens auertiſſet, diſponentibus ita Fatis: vt qui illo magnorum auſuum documento, verum in Patriam amorem, abunde es teſtatus; veri in dilectiſsimam Conſortem amoris Coniugalis indicium, non alio quàm hodiernæ Mortis ſpecimine demonſtrares. Atq; accede jam (dum ita Te non renuente viſum ſuperis) ad triumphalem hanc OLESNICIÆ CRVCIS pyram tantâ decorum Tuorum pompâ huc deductum, Coniugali vero Amori parentales Inferias daturum CAPVT: Capax Illa eſt, coronatæ tot Laureis Victimæ, quia triumphalis: in qua depoſitum hoc, inter mortalitatis rudera CAPVT Tuum, Romano quondam omine, etiam immortali Tuæ Capitolium gloriæ auguratur. Baſilicum omni-

nò quamuis Architecta morte opus est; cui Dodonæa hæc, vetustate secula excedens, Regum Solia proceritate attingens, aurea ramorum luxurie, Principes Regni Familias complexa Arbor hæc, sese obtulit in structuram. Magnificum & sublime satis; in quo etiam Vaticanus sacri Cardinalium Senatus apex, eminet in Zbigneo Olesnicio eminentissimus. Veniunt in Isto ad coronandam Cisviecii Vri victimam, Tuæ demum Laureæ, Sapientiæ Laureata sedes, omnigenæ per Orbem Sarmaticum eruditionis Regina, quia Sceptrorum hæres, Alma parens mea Vniversitas Cracoviensis. Tuum nempe est, liberali studiorum institutione, & Reges liberis Polonorum solijs instruere; & eruditi honoris prærogatiuâ illos vertices laureare; quos Eminentissimus Celsissimas inter Infulas Galer⁹, ipsi Ecclesiæ Capiti in viciniâ admouit. Te verò interim Conjunx Illustrissima, video ad complendum triumphalis Pyræ Tuæ apparatum, vetustas Nobilissimi Ortûs Imagines, stantes tot in Curribus Æmilianos, tot Majorum, sui jam parte minores, totam tamen æternitatem spirantes Statuas, longis ordinibus disponentem: quas in censum cogere singulas, tantæ magnitudini impar tenuitas, cum infinitum agnoscat; verùs Iuniæ Romanæ elogium, Tibi veriùs inscribit: quod Te etiam numerosissimus, non affinitatum modo, sed propriorum etiam decorum comitatus ad funera deducat. Feret ad sidera, hinc, etiã è more veteri dimittenda, sublimis Famæ Aquila Tuarum celsitudinem virtutum: quæ supra humilẽ hanc pennam, altiùs omnino stetit; quoád vita oneri fatorum non succumberet. Dabit hic etiam Rogus tot Tibi renascentis semper ac semper gloriæ Phœnices, quot illum carissima in Natis Tuis pignora circumsistunt. Sacrum Amori, & Palatina gratiosissimi quondam vel in Te Anna, Ioannis Koniecpo-

LII

lii, Solea, quæ planum Tibi, Mortis Tuæ anteambulo ad æternitatem iter fecit, & comes fatorum Cisviecii Vri Caput, secuturæ loquetur posteritati.

Ponite iam igitur vel in Tumulo Immortalitatis Vestræ Thalamum, Amantissimi Illustrissimorũ Coniugum Manes. Funebres licet, quia tamen Coniugali verò Amori parentales, Inferias Vestras, lacrymis prosequi superuacaneum est: cum Immortalitati quoq; Nominum Vestrorum sacræ, vitam amissam lugeri prohibent, æternùm à morte victuram. Immaturum hoc, & nec media ætate funus Vestrum, adulta Virtutum maturitas excusat; & quos Naturæ diutiùs seruâsse non potuit, seruabit æternùm gloriæ atq; sic Funeri Vestro, imò nostris etiam superstites, viuetis iam extra mortem. Restat hoc vnicum, erectis in cælum cordib⁹ illa vota fundere & precari: vt inaugurata perenni Laureæ Cisviecii Vri Victima, quam Coniugali vero Amori sacram Immortalitati etiam sacramus, vnà cum triumphali hac sua, è Ligno Olesniciæ Crvcis pyra, Amori illi, qui à Ligno Crvcis triumphat, grata & accepta sit.

Ad M. D. G. V. B. D. I. C. SSq; O. Honorem.



